

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

## DOMINICA XIII. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 10. v. 23. -- 37.

## EXORDIUM.

**E**X utraque parte propitiatorii, o-  
lim steterunt duo Cherubim, qui  
aliois illud operierunt, & se mu-  
tuo, versis vultibus in propitiato-  
rium respexerunt, Exod. 25. v. 17. 20.

Christus verum propitiatorium est,  
quem proposuit nobis Deus, per fidem in  
sanguine ipsius, Rom. 3. v. 25. ut nunc cum  
fiduciâ adire ad thronum gratiæ possimus,  
& gratiam invenire, in auxilium opportu-  
num, Hebr. 4. v. ult.

Quemadmodum igitur Cherubim, in  
utroque latere propitiatorii steterunt, &  
versis vultibus in illud respexerunt, sed alio  
operierunt illud, ne plenè inspicere possent:  
Sic Christus scopus & centrum totius  
Scripturæ est. De eo scripsit Moses, Joh.  
1. v. 14. illi omnes Prophetæ testimonium  
perhibent, Act. 10. v. 43. illum omnia sacri-  
ficia & typi præfiguraverunt, Hebr. 10. v. 1.  
Verùm in V. T. alio Cherubim operatus &  
obumbratus fuit, quò minus eâ claritate  
conspici potuerit, ut postea in N. T. factum  
est, & in dies adhuc fit, ab omnibus illis, qui  
verâ fide ipsum apprehendunt. Videmus  
gloriam ejus, gloriam, quasi unigeniti à Pa-  
tre, plenum gratiæ & veritatis, Joh. 1. v. 14.  
velamen ablatum est, 2. Cor. 3. v. 16. umbra  
cessat, Hebr. 10. v. 9. Nunc amplius nul-  
la irrationalia sacrificia habemus, sed sacri-  
ficiam, quod Deo offerimus, est rationalis  
cultus, Rom. 12. v. 1. Non indigemus quo-  
que sanguine taurorum & hircorum, quò

Judæi ad emundationem carnis opus ha-  
bebant, Hebr. 9. v. 13. sed sanguis Jesu  
Christi, Filius Dei, emundat nos ab omni  
peccato, 1. Joh. 1. v. 8.

Conformitas vero utrinque in eo con-  
sistit, quòd videmus in collatione utrius-  
que, quomodo novum in veteri lateat, &  
vetus in novo pateat, quo ipso in fide no-  
strâ valdè confirmamur. Jesus Christus  
enim heri & hodie, & idem etiam in secula,  
Hebr. 13. v. 8. hoc qui credit, signat, quòd  
Deus verax est, Joh. 3. v. 33.

Interea hoc discrimen manet, de quo  
Christus in prælecta Pericope: Beati oculi,  
qui vident, quæ vos videtis. Dico enim  
vobis, quòd multi Prophetæ & Reges vo-  
luerunt videre, quæ vos videtis, & non vi-  
derunt: & audire, quæ auditis, & non au-  
dierunt: siquidem N. T. diei, vetus verò  
nocti confertur, Rom. 13. v. 12. Sicut igitur  
nox timorem & pavorem, Psal. 91. v. 5.  
dies verò lætitiâ affert omnibus creatu-  
ris: nam dulce lumen, & delectabile est  
oculis videre Solem, Eccles. 11. v. 7. Ita in  
V. T. nil nisi timor & pavor erat. Lex siqui-  
dem iram operatur, Rom. 4. v. 15. at Evan-  
gelium per Apostolos in toto orbe dilata-  
tum, lætificat corda, Psal. 19. v. 8.

Nos instituti nostri memores videbi-  
mus

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

fff

Exe-